

Persii satiras quum aequalibus, tum proxime insequentis aetatis hominibus vehementer placuisse, non solum vitae antiquae auctor satis probatus, sive Probus is est, sive quis alius, memoriae prodidit dicens: *editum librum continuo mirari homines et diripere coeperunt*, verum etiam testatur paucis quidem, sed luculentis verbis gravissimus auctor Quintilianus Institt. Orat. X, c. 1, § 94: *multum et verae gloriae, quamvis uno libro, Persius meruit* ¹⁾. Neque vero minus libenter eius satiras per medium quod dicitur aevum manibus tritas esse, ex magno illo cuiusque generis scriptorum numero intelligitur, qui plurima ex illius carminibus sibi sumpserunt vel ad confirmanda quae ipsi dicerent, vel ad ea ornanda ²⁾.

Orta mox querela est de nimia horum carminum obscuritate, eo magis mira, quod neque a Quintiliano quidquam in hanc partem dictum legimus, neque ab antiquae auctore vitae. Antiquitus motam querelam post renatas litteras Persii lectores atque interpretes constanter repetitam tanquam per manus sibi videntur tradidisse ad nostram usque aetatem, qua, ut alios omittam, Francogallus, M. D. Nizardus pronuntiavit confidenter: studium lucem Persii obscuritati afferendi nihil esse nisi irritam philologorum operam ³⁾.

Obscurum vero esse poetam confitentur item, qui hoc ipso tempore in Germania de Persio optime meruerunt viri celeberrimi, Ferd. Hauthalius, Car. Frid. Hermannus, Otto Jahnius, quorum primus (in libro inscripto *Beiträge . . . Leipzig 1837*) Persium omnium latinorum poetarum adeoque totius antiquitatis difficillimum dicit, quocum fere consentiunt Herm. Lectt. *Persian. I*, p. 7 et Jahn. *Prolegg. ad Pers. p. CVIII sq.*, qui etiam, quibus ex causis prognata sit decantata illa obscuritas, ingeniose ibidem explicuit. Ea vero quum quaerenda sit potissimum in peculiari quadam poetae cogitandi sentiendique ratione universa et in tota aetatis qua vixit indole atque ingenio, aucta postea est duplici, quod extrinsecus accessit, incommodo, uno, quod priores certe interpretes, ducti tralatiticia illa obscuritatis opinione, ubique fere

1) Cf. quae scripsit Reinus in disputationis de studiis humanitatis nostra etiam aetate magni aestimandis parte XXXII. Gerae 1839 et nunc Otto Jahn. *Prolegg. ad Pers. p. XLIX*, ubi causae explicantur, cur poeta adeo placuerit.

2) Iis, qui iam antea noti erant, Car. Fr. Hermannus nuper addidit Prudentium in censura Prudentii ab Obbario filio editi. Vid. *Goett. gel. Anzz. 1845*, No. 80.

3) *Etudes de moeurs et de critique sur les poètes latins de la décadence cet. Paris 1834*, ubi in iudicio de Persio prolato I, p. 239—311 inveniuntur multa, quae iam incurrerunt in meritam reprehensionem. Videatur K. G. Jacob in *Jahn's Jahrb. B. 30*, Heft 3. p. 294 sqq.

obscura tantum et ad intelligendum difficilia odorabantur genusque interpretandi circumspiciebant et exquisitius et doctius, qui, si ab omni arbitraria sententia liberi maluisent ipsa poetae verba perpendere integro iudicio, saepe et ipsius et legentium commodis multo melius prospexissent; — alterum est incommodum, iam nostra aetate aegre ferendum, quod ipsa interpretationum multitudo atque varietas non raro lectoris animum ita perturbat, ut in diversas saepenumero partes distractus nesciat, ubi consistat, id quod verissime iudicavit W. E. Weberus ⁴⁾.

Sperabant nostra aetate, artis criticae auxilio maiorem Persio orituram esse lucem. Sed carminum textum, quem ingeniose non minus, quam studio indefesso perscrutati sunt post Hauthalium eodem fere tempore Hermannus et Jahnius conferentes ad antiquissimos codd., Hermannus ad scholiastae quoque antiqui lemmata, in universum non adeo corruptum esse nunc constat, quam antea putaverant. Itaque, quum a codicibus non multum lucis sperandum sit, ad interpretationem remittimur, qua etiamnum post insignia multorum virorum merita, dummodo iudicio utamur ubique integro, multa aut constitui rectius, aut defendi melius adversus otiosa ingeniorum tentamina posse confidimus, idque inprimis fieri posse accurate instituta locorum comparatione eorum, quos imitatione expressit Persius quum ex aliis scriptoribus, tum potissimum ex Horatio. — Nunc igitur, quum scriptione aliqua praeludendum sit vernarum quotannis declamationum in schola nostra habendarum solemnitati, occasione oblata ita utemur, ut hoc ipso florentis anni tempore Persium, iuvenem praematura morte amicis abreptum, morum candore et singulari in suos pietate conspicuum, flosculis quibusdam nostris exornemus.

Sat. V, 10—14.

Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino,
Folle premis ventos, nec clauso murmure raucus
Nescio quid tecum grave cornicaris inepte,
Nec stloppo tumidas intendis rumpere buccas.

Ex accurata diligentique interpungendi ratione quantum lucis afferri possit veterum scriptis, id quum ex multis locis intelligitur, ubi post longam dubitationem uno interpunctionis signo vel addito, vel deleto aut transposito in alium locum omnis quae antea fuit haesitatio disturbatur et vera scriptoris sententia, velut Minerva ex Jovis capite, stupentibus fere lectoribus subito emergit, tum integris veterum scriptorum libris, in quibus singularem perpetuamque operam viri docti posuerant, satis est comprobatum, idque ipsum luculento vel apud Persium exemplo factum esse inter

⁴⁾ In libro eius inscripto: *Emigrant und Stoiker*, praef. p. XIX et XX haec leguntur: Theils durch die Voraussetzung, Persius sei dunkel, gewöhnt man sich in seiner Darstellung Vieldeutigkeit zu suchen und läßt sich wider Willen hinreißen, verschiedenen Erklärungen gleiche Rechte zuzugehen; theils überfüllen einen die vielen und vielerlei Auslegungen dermaßen mit Befangenheit, daß man unvermerkt die Ausleger dem Dichter substituirt und weniger fragt, was er selbst gesagt hat, als was er zu Folge jener habe sagen sollen.

omnes constat. Neque enim quisquam est, qui ignoret, Fr. Aug. Reizium, quum accuratissima interpungendi ratione superiores huius poetae editores ad unum omnes longe post se reliquisset, tam insignem eo sibi peperisse laudem, ut textu accuratissime distincto de poeta difficili atque obscuro explanando melius longe meruisse censeretur aliis multis, qui perpetuos commentarios et prolixos in eum scripserant. Hinc autem factum est, ut Fr. Aug. Wolfius, vir ingenio doctrinaque incomparabilis, non minus ingeniose, quam honorifice ipsum illud iudicium honorificentissimum, quod olim de Persio tulerat Quintil. loco supra laudato, in Reizium, quippe qui uno libro multum et verae gloriae meruerit, optimo iure transferendum existimaret.

Sed quorsum haec? pertinent nimirum ad rem nostram, quum iam singularis aliquis conatus refellendus sit Hauthalii, in quo ab illa sollertia cum poetae damno declinasse reperitur. Is enim vulgarem interpunctionem eamque ipsius Reizii auctoritate commendatam, ex qua commate intercidebatur oratio post voc. *anhelanti*, ut *anhelanti folle* coniungeretur, mutavit collocavitque comma post particulam *neque*, ut *anhelans iam caminus* dicatur.

Age vero audiamus, quibus ille coactus caussis hoc sibi faciendum existimaverit. Primum quidem eius argumentum hoc est: *Follis*, inquit, *qui ventos premit*, *necessario anhelat*, *idque ita fieri sponte sua intelligitur: epitheta autem ornantia prorsus abhorrent a dicendi genere Persiano, praesertim ubi ipse loquitur*. Neutrum concedendum est; namque, ut inde ordiar, quod negat Persium admittere ornantia epitheta, id argumentum iam nuper impugnatum, immo fractum est a C. Fr. Hermannō in *Lectt. Persian.* disputat. altera p. 46, qui vir insignis, simili ex ipso poeta prolato exemplo, non dubitat, acriter modo animum ad eam rem intenderis, quin plura eiusdem generis exempla reperiantur. Atque mirum profecto accideret, si poeta, qui in sententiis nonnunquam ubertatem studiosē sectatur (cf. V, 60, 72), quamvis cetera brevitatis amantissimus, ab hoc ornantis, ut ita dicam, abundantiae genere prorsus se abstinisset. Neque vero, si unum tantummodo huius usus exemplum exstaret, id in dubium iure vocaretur, quum in poeta, cuius versus numero tam pauci sunt, singularia quaedam inveniuntur, propemodum necesse sit.

Verum quid longius his immoramur? Non est solius ornatus gratia additum voc. *anhelanti*; erravit Hauthalius. Etenim si dicis *folle ventos premere* et *ventos premere anhelanti folle*, utrumque intelligitur quidem de eadem re, sed modus, quo fit, diversus est. Potest ita follis premi, ut nulla aut exigua anhelatio auribus percipiatur, potest idem ita, ut anhelet ille quidem et tanquam congemiscat. Itaque *anhelanti folle premere* idem h. l. est, quod vehementer, nulla interposita mora, premere, quae sane sententia hic requiritur. Antequam vero hanc sententiam requiri addito alio eoque gravissimo argumento convincamus, operae pretium est breviter perstringere, quae addit Hauthalius ad scrupulum eximendum, si quis forte ex interpunctionis signo post negativam particulam *neque* collocato subnascatur. Provocat ille ad sat. 1, 5.

. . Non, si quid turbida Roma
Elevet, accedas cett.

et ad eiusdem sat. v. 45:

Non ego, cum scribo, si forte quid aptius exit,
Quando haec rara avis est, si quid tamen aptius exit,
Laudari metuum cett.

Loci laudati a nostro discrepant, in utroque enim negandi particula cum vi quadam ab initio collocata a conditionali quod sequitur enuntiato, praecedente ipsa particula conditionali, ita disiungitur, ut re ipsa appareat, praemissam negationem alio referendam esse. Non opus videtur in re aperta plures afferre locos ab Hauth. alatis similes; illud praestat monere, non deesse locos, quales afferre debebat Hauth. ubi particula *nec*, de qua hic agitur, interposito enuntiato secundo se iungitur, ut Horat. epp. I, 11, 15:

Nec, si te validus iactaverit Auster in alto,

Idcirco navem trans Aegaeum mare vendas,

ea tamen lege diligenter, quod sciam, servata, ut ex sequenti vocabulo sponte intelligatur, hoc ad aliam pertinere verborum seriem. Tu vero considera nostrum locum, et voc. *anhelanti*, quod invitae verisimilitudinis et verborum consequentiae legibus cum Hauth. traxeris ad voc. *camino*, senties adiunctum atque adhaerens particulae *neque* ad primum sponte sua vergere enuntiatum. *Neque* enim particula quae in vicinitate eius posita sunt, omnia attrahens secum refert ad eam enuntiatam partem, ad quam ipsa pertinet, exceptis iis, quae aperta ratione separantur, id quod nostro loco in verb. *coquitur* demum ex personae diversitate satis aperte significatur. Accedit huc, quod metri prope ratio nostrae sententiae favet, quippe quae, ut arcte coniungantur vocabula *neque* et *anhelanti*, propemodum flagitat.

Sed quid pluribus haec disputo? Faciem praefert nobis Pers. ipse dicendo sat. I, 13 haec:

Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber,

Grande aliquid, quod *pulmo* animae praelargus *anhelet*.

Vide, idem verbum ad pulmonem referri; neque dubitandum est, quin nostro loco, ubi per similitudinem eadem sententia exprimitur, accurate institutam singularum partium relationem habeamus. *Pulmoni* autem in similitudine *folli* respondet, ad eundem igitur *anhelanti* referendum erit. Quodsi etiamnum ambigitur, utra sententia verior sit, Horatio, quem adeo in deliciis habuit Persius, ut sexcentis imitaretur locis, in auxilium vocato omnem dubitationem removeri posse confidimus. Horat. igitur sat. I, 4, 19 haec habet:

At tu conclusas hircinis follibus auras

Usque laborantes, dum ferrum molliat ignis,

Ut mavis, imitare.

Inde expressam diligenter a Persio ipsius sententiam esse vidit Casaubonus; quibus in verbis ad amussim quum respondeant *laborantes folles* Persii *folli anhelanti*, totam quaestionem apparet confectam esse.

Sat. V, 14 sqq.

Verba togae sequeris, iunctura callidus acri,

Ore teres modico, pallentes radere mores

Doctus et ingenuo culpam defigere ludo.

Audacter complura in Persii carminibus tentavit et cauti partes critici atque interpretis nonnunquam deseruit Koenigius, praesertim quum invenisset, quae in eum Persium, qualem sibi cogitatione finxerat, non satis viderentur convenire, qua causa

ductus ille versum 39 satirae I, utpote abhorrentem a brevitate Persiana sine mora cum Stibero efficiendum esse censuit. Cf. Ern. Guil. Web. in annot. ad h. l. Idem Koenigius in versibus supra ascriptis Persium sibi sumpsisse nimium incurrisseque in vitium immodestiae pronuntiavit. Quod utinam ne fecisset, aut sententiae suae causas exposuisset; praeterquam enim, quod poetam accusavit immodestiae, eundem secum facit pugnantem, quippe sat. I, 45 sqq. de se ingenue fatentem et perquam modeste:

Non ego, cum scribo, si forte quid aptius exit,
Quando haec rara avis est, si quid tamen aptius exit,
Laudari metuam cett.

Mox maiore audacia, ut assolet, inductus iudicio Koenigii, alius vir doctus, spreta leniore interpretationis medicina, secundo vulnus detectum ausus est sanare. Pinzgerus enim in censura editionis Orellianae inserta Diurn. Litter. Ienens. 1822 n. 199, p. 131 adeo non tolerandam his versibus arrogantiam sibi videbatur deprehendisse, ut, quum verba illa non possent ulla ratione conciliari cum insigni poetae modestia ea, quam ipse prae se ferat sat. I. l. l., coniectura locum miro librorum consensu stabilitum tentaret et pro *sequeris* formam imperativi *sequere* recipiendam censeret. Finalis syllabae productionem propter ictum et caesuram, in quam incidat, offensionem esse non posse probatur exemplo prolato simili ex Ovid. Metam. I. 193: Faunisque Satyrique et monticolae Silvani. En egregium errorem! Invidiam arrogantiae, quam sibi finxerat, in priore versus parte quum hoc modo sustulisset, eiusdem, si qua erat, potiore partem in sequentibus intactam reliquit. Quid enim? qua tandem alia ratione verba quae sequuntur: iunctura callidus aëri cett. cum antecedentibus consociari poterunt, nisi vim illis tribueris causalem?

Neque vero cuiquam suam Pinzgerus persuasit sententiam; nam qui deinde operam suam Persio navarunt, Ern. Guil. Weberus et Frid. Plumius in vulgata scriptura acquiescentes omnino negant quidquam laudis vers. notatis inesse, quod non optimo iure sibi vindicare iuvenis poeta potuerit. At vero hoc est affirmare, ubi opus demonstratione, in re non ab omni dubitatione libera. Namque, ut mittamus multam multorum ex omni aetate virorum doctorum querelam de nimis obscuro et implicito genere dicendi, utque ipsi ad iudicium accedamus aequum pariter atque verum novissimi editoris, Ottonis Iahni, qui poetam, ut par est, ex suae potissimum aetatis indole aestimandum censet, unde intelligi sane potest, cur Persius tantopere placuerit aequalibus suis, — ut igitur largiamur, eum non solum rebus tractatis, verum etiam dicendi genere conspicuo omnibus virtutibus iis, quas hic sibi tribuit ipse, meruisse laudem praecipuam, usque tamen recurrit, quae profliganda erat, laudis propriae aegre ferenda molestia, quae quomodo minuatur eo, quod laudandi partes delatae sint ad personam Cornuti, optimi praeceptoris, equidem nequeo exputare, idque etiam minus, si forte, in quam sententiam prope discedit Ern. Guil. Weberus, ipsius Cornuti verba a Persio hic allata legantur. Causa quidem reprehendendi ni gravior, certe non lenior existit; quid enim magnopere interest, utrum de tuis ipsius verbis praedices atque extollas, an ab alio eoque magnae auctoritatis viro laudatum te esse ipse dicas. Ad finem excusationis quod additum est a Web.: *Ne ubique apud veteres eam desideremus modestiam, cui nostrae molles aures adsuetae sunt*, quale id sit quantique pretii, qui harum rerum curiosi sunt, vidernit. Nos vero nostram qualemcunque sententiam proferamus. Cornutus Persium demirans hic sectantem inanum tumidorumque verborum strepitum, dum revocare vult ad consuetum poesis genus satiricum, eius ipsius hic describit atque definit quum materiam, tum formam propriam, quarum illa extremis verbis no-

tatur hisce: — pallentes radere mores doctus et ingenuo culpam defigere ludo, haec tribus partibus exhibetur sic: — verba togae sequeris, iunctura callidus acri, ore teres modico. Prima pars *verba togae*, (cf. sat. IV, 1 rem populi) i. e. verba togatorum, quae usum vitae quotidianae decent, ad verborum delectum spectat, ad eorundem compositionem altera *iunctura callidus acri*, ad elocutionem denique extrema referenda sunt *ore teres modico*. Et vero formae definiendae ita immoratur Persius, ut ei multum videatur tribuisse; quapropter Weber. repetere Britannici explicationem hanc: non bella, non tragoedias scribis, sed materiam quidem humilem, qualis est satira — non debebat, nisi correctam et formae satir. notatione auctam.

Porro autem animadvertendum est, quae verba ad delectum spectant, Persii esse ipsius propria, contra quae compositionem definiunt et elocutionem, ea manifestis iudiciis ex Horatio colorem duxisse. Neque enim est dubium, quin Persio iuncturam describenti in mentem venerint verba Horatii A. P. v. 47:

Dixeris egregie, notum si *callida* verbum

Reddiderit *iunctura* novum.

Proprium autem satirae voc. *callidus* fuisse, mea sententia recte animadvertit Passovius in commentario. Cf. Pers. sat. I, 133: Callidus excusso populum suspendere naso.

Sed nunc respondendum vituperatoribus Persium incusantibus, quod nimium ille hic sibi sumpsit. Nos vero nimium sumpsisse eum negamus, propterea, quod quae sumpsit, sumere sibi non solum potuit, verum etiam debuit. Videamus singula. Primum in verbis *verba togae sequeris* nonne aperta est solius studii indeque paratae artis significatio? Eandem autem in reliquis, quae deinceps sequuntur, locum obtinere certo affirmo. In extremis quidem: Pallentes radere mores doctus Et ingenuo culpam defigere ludo voc. *doctus* item ad exercitationem disciplinae usumque spectat. Dubius hic haeret Casaub., qui reliqua docte eleganterque explicuit. Doctus, inquit in comment. ad h. l., et nomen esse potest pro σοφός, δεινός, et participium pro διδακθεις: quod bene in Cornutum quadrat, qui Persium τὰ ἡθικά docuerat. Idem De Satyrica Graecorum poësi et Romanorum satira lib. II., cap. 3, p. mihi 235: Ita, inquit, puto accipiendum, ut dicat Cornutus, se Persium, discipulum suum, in scribendis satiris exercuisse: qua occasione fuerit factum, ut et ipse interdum, velut exempli causa, satiras scriberet; itaque doctus erit διδακθεις ὑπ' ἐμοῦ, non autem δεινός. Haec vero sententia ut arbitraria, quippe testimoniorum certorum fide destituta, nunc in medio relinquenda est. Adiectivi vim habere *doctus* cum inf. constructum ostendunt loci a Vechnero in Hellenol. lib. I. c. XXI collecti ex latinis poetis, imitantibus in hac re Graecorum loquendi morem. Ita autem fit, ut *indoctus* eodem modo usurpetur, ut Hor. Od. II, 6: Cantabrum indoctum iuga ferre nostra. Sed utut est, sive participium illud esse status, sive adiectivum, vel sic significationem retinet artis discendo exercendoque comparatae. Idem vero de sequenti dictione: iunctura callidus acri, valet, neque tam referendum ad ingenium hic voc. *callidus* est, quam ad usum et peritiam secundum primitivam vocabuli significationem, propositam a Cicerone De Nat. Deor. III, 10: Proprie enim sic appellatur is, cuius tanquam manus opere sic animus usu concalluit. Hinc adiectivum cognatum huic iunctum legitur: *homines callidi ac periti*. Denique verbis *ore teres modico*, adumbratis ad Horatianum *ore rotundo loqui*, temperatum loquendi genus describi recte monuit Otto Iahn., eleganter idem explicans adiect. *teres*. Teres, inquit ille, ex Festi interpretatione in longitudine rotundatum cett. (adde Isidor. p. 1192, 27 ed. Godofr.: teres est aliquid rotundum cum proceritate, ut columna.)

de membris corporis humani, v. e. suris, lacertis (de cervice Lucret. I, 36; digitis Ovid. art. am. I, 6, 22; humeris Sidon. Apoll. I, ep. 2.) ita usurpatur, ut significet succi plena, ita ut iustum modum impleant, a macie aequae remota, atque a pinguedine; deinde ad orationem transfertur. Cf. Cic. de orat. III, 52, 199: Est (oratio) et plena quidem, sed tamen *teres*, et tenuis, non sine nervis ac viribus, et ea, quae particeps utriusque generis quadam mediocritate laudatur. Cf. imprimis Gellium Noct. Att. VII, 14. Eadem similitudine, qua ad orationem, translata vox *teres* cum cognata *rotundus* ad animum sapientis est eius, quem Horat. describit Sat. II, 7, 86, qui et ipse mediocritate quadam commendatur.

In satiram igitur *teres* bene convenit, quippe quae loquendi genere quotidiano, sed polito illo atque urbano uti consueverit.

Iam his singulis plenius expositis, facile constabit, nihil hic poni, nisi quod labore et studio comparetur. Iuveni igitur sollertissimo concedimus laudem artis, ad quam studii assiduitate pervenit, tollimus ingenii arrogantiam, quae ut omnino homine indigna est et perquam molesta (cf. Cic. de Divinat. II: quum omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenii multo molestissima), ita hic eo minus toleranda, quod abhorret prorsus a poetae nostri modestia haudquaquam vulgari, quam ipse optime comprobavit primis prologi versibus his:

Nec fonte labra prolui caballino,

Nec in bicipiti somniasse Parnaso

Memini, ut *repente sic* poeta prodirem.

Vide eandem sententiam, quam quaerebamus in sat. V, v. 15, hic a poeta prolatam! Se non *repente sic* prodisse poetam, h. e. non sine labore multoque studio, ingenue fatetur.

Denique si, quamvis largitus potiore his verbis inesse studii artisque significationem, tamen non exiguam vel sic relinqui existimes ostentationis partem in exquisitiore verborum ornatu, eam nos quidem, si qua est, condonandam censemus iuveni animi ardori, quo elatus Persius, quae ab Horatio in suum usum transfert, ea plerumque auget, variat, exornat.

Iam, haec si recte disputata sunt, apparebit, variantis scripturae *teris* pro *teres* rationem non esse habendam. Receptam illam ab Achaintrio nimium religiose auctoritatem codicum suorum secuto (quid enim in his minutis rebus codicum fides potest?), repudiavit post Orellium Ern. Guil. Weberus, ut *sermonis concinnitas servaretur*, denuo in verborum ordinem revocavit Plum., doctissimus episcopus, eo quidem consilio, si recte memini, ut *aliqua certe molestae arrogantiae particula ita removeretur*. Verum nihil est in his arrogantiae; et vero in iis, quae deinceps ad h. l. addidit, Plum. debebat ille non tam hoc quaerere, num latine dicatur *verba terere*, id quod erudito viro libenter concedimus, quamvis loci ex Ciceronis libris ab eo allati non eiusdem generis esse videantur, — quam docere, quomodo asyndeton, quod oritur, si voce *teris* et *sequeris* ad idem referuntur obiectum *verba togae*, interpositis verbis *unctura callidus acri*, cuius simile exemplum neque apud Persium invenias, neque apud alium quemquam bonum scriptorem, excusari possit atque defendi.

Non igitur mirum est, quod Hauth., qui eandem, quam reposuit Plumius, sequitur scripturam, ea ille praeterea motus ratione, quod ex recepta *teres* scriptura abundantia molesta oriatur, non consentientes secum habet, qui deinceps Persio illustrando salutarem suam operam impertiverunt, Car. Fr. Hermannum, et Ott. Iahn., quorum prior quam bene explicuerit *teris* scripturae fide codd. optimorum et antiquissimorum mira sane constantia servatae originem, videbis p. 47 disputat. alter., simillimo huius pleo-

nasmi exemplo allato ex Ovid. Fast. VI, 425: *lucoque obscurus opaco*, scite ille comparans modum dicendi Graecis poetis usitatissimum, quo fit, (verba sunt Herm.) ut adiectivum, quod pro epitheto cum substantivo aliquo coniungendum sit, cum radice ipsi substantivo cognata ita componant, ut eadem notio in utroque redeat. Cf. ibidem not. 84.

Eiusdem vero in eodem enuntiato notionis repetitio cur tandem Hauthalio hic adeo non ferenda videtur, ut tollendam eam censeat, quum omnino eadem ratio verborum antecedentium esse videatur, si quidem in vv. *iunctura callidus acri*, utpote expressis, ut supra monuimus, ad exemplum Horatii, coniungentis *callidam iuncturam*, nihil nisi epitheti traiectionem a re ipsa ad personam, cuius ea est, prope necesse est agnoscamus? Verum omnino iudicium de hac redundantia dicendi adest adeo est atque ambiguum, et probatissimis antiquitatis scriptoribus quum solutae, tum vinetae orationis ita non infrequens est eorundem verborum notionumque in eadem sententia iteratio, ut pro vitio omnino *πατολογία* esse habendam, Quintilianus, motus ille haud dubie summorum auctoritate virorum, timide tantum pronuntiare audeat Institt. Oratt. VIII, c. 30: Haec (iteratio) enim, inquit, quamquam *non magnopere* summis auctoribus vitata, interim vitium videri potest, in quod incidit saepius etiam Cicero, securus tam parvae observationis cett.

Persium vero ipsum quum constet operam dedisse integris sententiis varie exprimentis (cf. sat. V, 70 et 72), quo tandem iure eum eandem nonnunquam notionem iterasse infitias ibis? Sed plura de hac re alias.

Nunc satis habemus occasione oblata ita uti, ut de huius satirae vv. 24 et 25:

Pulsa, dignoscere cautus,

Quid solidum crepet, et pictae tectoria linguae

breviter exponamus sententiam nostram qualemcunque, quum similis ibi appareat notionis eiusdem repetitio.

Sententia in universum plana atque perspicua haec est: Tu, Cornute, qui discernis optime vera et genuina a falsis et simulatis, age animum meum examines, et quam sit sincerus et ingenuus, explores. *Pulsa*, ait Pers., egregie ad rem, ducta metaphora a re figlina, vel potius ab iis, qui vascula emunt: vasa enim et bene cocta et integra sonum reddunt acutum, male cocta vel fracta raucum. Cf. docte eleganterque de hac re disputantem Ott. Iahn. in commentar. ad sat. III, p. 147 sq. Porro dicendi modus *solidum crepare*, qui iam comparet apud Lucret. De rerum natura III, 886, vel ex quotidianae vitae usu fluxit, vel ex ipso Lucretio potest repetitus esse, quem diligenter lectum a Persio esse certis quibusdam indicis cognoscitur. Verbo autem *crepandi* tribuenda amplior significatio est, ut de sono in universum accipiatur; namque si cum Ott. Iahnio retuleris ad significationem eam, qua adhibetur vulgo, ut dicatur de rebus iis, quae non purum et canorum sonum edunt, sed fractum quasi et obscurum, vide, ne oriatur contradictio, quam dicunt, in adiecto, quum *solidum* sit idem, quod est verum et genuinum, ut recte hoc idem vir egregius eodem loco interpretatur. Animadvertendum praeterea constructionis genus rarius quidem illud, sed exemplis tamen similibus satis probatum, quo ad idem verbum regens *dignoscere* refertur et simplex obiectum *tectoria*, et enuntiatum integrum *quid solidum crepet*. Universa igitur loci sententia quamvis perspicua sit, lucem illa potissimum ex oppositis suam accipiens, tamen verba *pictae tectoria linguae* dici vix potest quam vexaverint interpretes. Et Graevius quidem in verbis *pictae linguae* haerens *fictae* pro *pictae* scribendum esse censuit (epp. ad Nic. Heins. in syllog. epp. t. IV, p. 298), quam suam

coniecturam nemini probavit; non recordabatur vir eximius, eadem sententia *pictam* linguam dici posse, qua vult *fictam*. Cf. si tanti est, Isidor. p. 1293 ed. Godofr. *Picta* enim lingua significat *verba picta*, i. e. simulata, fucata, vana, ea quae delectant quidem auresque titillant, quibus tamen in loquentis animo nihil respondet, et quae ex-
 cussa inania deprehenduntur: διαπτύχθέντες (λόγοι) ὡφθησαν κενοί.

Deinde lectio *plectoria*, quam *vocem nihili* nuncupat Orellius ad h. l., quamque Hermannus disput. alter. p. 46 prope affirmat nec legi apud ullum latini sermonis auctorem, neque ex ulla analogia commodam explicationem accipere, ut facile excusari possit, qui in tanto monstro non simplicem vulgatae elegantiam, sed aliquid reconditi et in-
 auditum latere suspicetur, ea igitur lectio Burmannum, auscultantem fortasse verbis Casauboni, *aliquid fortasse huic subesse* suspicantis, impulit, ut *tinctoria* coniceret, nuper vero Hauthalium, ut proponeret *planctoria*. Neutra vero coniectura, ut recte iudicat Herm., vulgatam aequat, quae, ut illius viri huc verba liceat transscribere, toti loci sententiae ita convenit, ut vel si nullo codice confirmaretur, inter omnia emendationum tentamina palmam mereret. Et vero vulgata egregie firmatur verbis Aurel. Augustini ex Persii loco aperte adumbratis: Hortor, ut litterarum vere certeque sanctarum te curam non pigeat impendere; sincera enim et solida res est, nec fucatis eloquiis ambit ad animum, nec ullo *linguae tectorio* inane aliquid ac pendulum crepitat. Monstrum igitur illud *plectoria* aut negligentiae est tribuendum librarii, aut ignorantiae et documento potest esse, quam anxie librarii in describendis codicibus versari nonnunquam consueverint, ut vel non intellecta et aperte corrupta transcribere mallent, quam mutare. — Quum igitur coniectura non opus sit, videndum, quomodo interpretationis ope verba poetae explicare debeamus. Atque de voc. *tectoria* in diversa virorum doctorum abeunt sententiae. Plerisque, ut Casaub., Plum., Iahn., allegorice id dictum videtur esse et ad parietum opere latericio constructorum pertinere illinimenta, quae proprie dicantur *tectoria* teste Frontino expos. form. p. 31 ed. Goes. (adde Varron. R. R. III, II *tectorio levigare parietes*), huic vero contrarium dici, id quod *totum lapideum* sit. Illa deinde illinimenta aiunt coloribus induci apud veteres solita esse et picturis ornari. Quod si verum est, epitheton *picta*, id quod iam Casaubono placuit, proprie ad *tectoria* pertinebit, quippe relatam h. l. per hypallagen ad voc. *linguae*, cuius traiectionis simile exemplum, etsi alio consilio, attulit Herm. sat. III, v. 50: *angustae collo orcae*. Mihi, ut verum fatear, non magnopere placet sententia eorum, qui referunt *tectoria* ad parietum inductiones picturis exornatas, non quo negem eas pingi solitas esse (de origine huius moris vid. Langii *Vindiciae* Trag. Rom. p. 50), aut quo existimen, inter eas et *pictam* linguam nullam prorsus intercedere similitudinem, sed quod desidero id, quod h. l. vel maxime postulatur, necessariam et a vitae quotidianae usu suppeditatam causam rationemque pulsandi, ita apertam illam quidem, ut est in verbis *quid solidum crepet*, quae audita vel lecta, quo referenda sint, nullo legentium negotio intelliguntur.

Atque nunc dissidentem ab his Prellerum quoque video, motum si non iisdem, certe similibus causis⁵⁾. Cetera viro docto assentior, interpretationem, quam proposuit

⁵⁾ In Hall. Allgem. Literaturz. 1845 Iul., No. 143. Verba eius haec sunt: in *pictae tectoria* linguae wuerde Referent am liebsten an eine Verkleidung (spanische Wand) denken, da doch der Stucco zum Behuf aufgetragener Malereien, wie die Pompeianischen und Hercula-

novam, non accipiendam censeo, primum quod frustra circumspecti ac similia huius significationis exempla, deinde, quod vel sic ad oculos potius, quam ad aures explorandi negotium referri apertum sit. Vocabuli autem *tectorium* si spectas originem, omnino illud quamvis rem significare apparet, quae quid tegitur, quae qualis sit diiudicari plerumque non potest, nisi vel ex rei, quae tegitur, natura, vel ex tegendi consilio ipsis scriptoris verbis significato, aut aliunde satis cognito. Ita in Iuvenalis verbis sat. VI, 467: *Tandem aperit vultum et tectoria prima reponit*, quae tectoria ista sint, facile intelligitur et communi interpretum sententia ad illud illinimenti genus refertur adamatum mulieribus venustatis ridicule studiosis, quod ex lacte asinino confectum et pane faciei per noctem solebant imponere, ut levigarent eam mollioremque tactu redderent, quod pluribus egit harum rerum intelligentissimus Boettigerus in Sabina I, p. 14. De hac re turpi pariter atque ridicula cf. etiam Plum. ad Pers. IV, 36.

Non huius quidem *tectorii*, sed tamen *fuci* ad ornandum ori impositi (*quaesitum candorem* dicit Propertius III, 24, 8.) nescio quo inductus errore vestigia quaedam mihi aliquando videbar deprehendisse in veteris scholiastae verbis ad Iuvenal. sat. XI, 184, ed. Cramer. p. 451 non satis perspicuis hisce: *mire nec ipsi rei pepercit poeta. Ne uxor tibi bilem contrahat, si tarde regreditur, quae a prima luce processerat, ita regressa, ut se prodat signis quibusdam concubuisse cum moecho; solent enim aures et vultus sub ora eis rubere*. Nulla in his fuci significatio est. Sed verba scholiastae iterum oculis dum perlustramus, in mentem nobis venit coniectura, cuius auxilio mendum, quo extrema annotationis verba, mea quidem sententia aperte corrupta, laborant, quum tolli posse videatur, eam hic nobis liceat in medium proferre. Et corrupta quidem nos habemus cum aliis verba, quae amplioribus litteris exprimenda curavimus, quibus alii aliam medicinam conati sunt adhibere. Cf. Cramer l. l., cuius ipsius explicatione, ex qua casu sexto voc. *ora* debeat intelligi, non equidem video, quid proficiatur. Ad litterarum igitur ductum emendandum locum ita censemus, ut contractis et in unum consociatis tribus voce. *sub ora eis* scribendum esse videatur *Suburanis*. Quae si recte emendata fuerint, *Suburanae* non erunt intelligendae mulieres perpetuo in isto vico habitantes, immo intelligendae ex sententia Iuvenalis universa libidinosae, quibus ratione haudquaquam contemnenda ex dissoluta vivendi consuetudine nomen Suburanarum a scholiaste imponatur, quae ratio eo probabilior est, si istius generis mulieres, quales Iuvenalis l. l. perstringit, ad instar virorum Suburam vicum malae notae frequentasse credimus; quid vero non audent Messalinae similes mulieres? Cf. Iuvenal. VI, 115 sqq. — Coniecturam a me propositam faciliorem reddit scriptura voc. *Subura* per simplicem litteram *r*, quam ut genuinam hodie tuerentur eruditi homines. Cf. Leop. Schneider. gr. lat. p. 430.

Sed redeamus, unde digressi sumus. Ampliore quidem existimamus eaque primitiva significatione, ut in laudato Iuven. loco, ita a Persio quoque hic voc. *tectorium* positum esse, quae sententia, quo saepius ad locum revertimur, eo magis nobis placet. Persium igitur putamus, quum verbo *pulsandi* certam similitudinem ponere coepisset, sententiae subiunctae — *dignoscere cautus, Quid solidum crepet, et pictae tectoria*

nischen Haenser lehren, immerhin solide genug ist und die Prüfung durch Anklopfen, da ohnehin die wirkliche Prüfung fuer's Auge deutlich genug ist, darauf nicht leicht Anwendung finden moechte.

linguae — bipartitae partem priorem ad eandem accurate exegisse similitudinem, in altera, iam paullum delitescente inceptae cogitatione similitudinis et magis occupante animum, unde proxime pendent extrema, notione verbi *dignoscendi*, a figurato ad proprium dicendi genus se convertisse. Quemadmodum autem universe dici potest *picta lingua* sine certa ullius rei comparatione (metaphorice enim positae voces paullatim naturam et vim propriarum induunt), ita *tectorium* quoque absolute dictum nobis videtur. Ad quam sententiam si quis tanquam ad lapidem offenderit, auctore utamur Cicerone, qui deminutivam quidem eiusdem vocis formam *tectoriola* similiter usurpavit Epp. ad Famil. IX, 22.

Quid vero? Tunc ferendum censes in eadem re describenda a figurato genere dicendi continuo transiri ad proprium? Equidem censeo. Confusionem quidem duarum similitudinum et nos relinquimus poetis lyricis, figuratae orationis et propriae coniunctionem Persio vindicamus, assurgenti subinde illi et ipsa orationis variatione gaudenti. Et in promptu est locus, ubi contrario quidem ordine sententiae sese excipiunt, V, 118: *Quaedederam supra, repeto, funemque reduco*. Sed Ehe! dum versum volo relegere, ipsum verbum *relegere*, nunc hercle omen perquam ambiguum, in locum verbi *repeto* ab Ott. Iahn. video receptum, patrum tempore illud quidem eiectum. Pace viri doctissimi dixerim, multum hic ab eo dissentio et *repeto* veram scripturam esse quovis pignore contendo, vel si minus illa a codicibus commendetur. Etenim librarii, mordicus tenentes ductam a ludo quodam puerorum similitudinem, in priore sententiae membro *repeto* verbum, quod illi repugnare credebant, eiecerunt, intruserunt ipsis satis notum voc. *relego*, cuius fontem facile agnosces in verbis Ovidii Metam. VIII, 173 hisce: *Ianua difficilis sibi est inventa relecto*. Neque hoc absonum est statuere, *relego* in margine ascriptum ex Ovidii loco ad illustrandam voc. *reduco*, postea locum occupasse verbi antecedentis *repeto*. Contra vero, si esset vera scriptura *relego*, id quod iam affirmavit Nic. Heinsius ad Ovid. Fast. III, 462, p. 863, ed. Fischer., vix haberes alterius scripturae satis probabilem originem. Invenientur fortasse apud Persium alia huius generis exempla, ubi diligenter in eam rem animum attenderis. Summa igitur disputationis nostrae haec est: Persium a translato genere dicendi nonnunquam in eadem sententia transire ad proprium, deinde universe nostro loco *tectoria* dici. Quae si vere fuerint dicta, omnis evanescet dubitatio, quam sitam esse vidimus in caussa, cur parietes dicantur pulsando dignosci, non satis aperta; sed ad eos poetam non iam respicere ostendisse nobis visi sumus.

Iam vero finem huic disputationi imponemus, si examinaverimus antea versum huius satirae quartum, ex genere illum quidem eorum locorum, ubi interpretes, omnibus verbis quamvis codd. fide optime munitis, magnopere tamen de sententia laborant et in partes trahuntur diversas. Atque quod in versu laudato incertum atque dubitationi obnoxium hodieque relictum est, id iam certo credimus dissolvi posse adhibito in auxilium Horatii loco simillimo. Versus autem, multas ob causas memorabiles, ab initio sat. quintae leguntur hi:

*Vatibus hic mos est centum sibi poscere voces,
Centum ora et linguas optare in carmina centum,
Fabula seu moesto ponatur hianda tragoedo,
Vulnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum.*

Horum versuum quartus, quem priores interpretes leviter tantum attigerant, non intelligentes quid in eo inesset reconditi, nostra quidem aetate insigni quorundam viro-
rum doctorem sollertia multo melius est explicatus, inprimis Ott. Iahnii; eundem etiam

diligenter expositum fuisse in Teuffelii editione memini, cuius quidem inspiciendae hoc ipso tempore mihi non esse copiam, vehementer dolendum est. Interim nos nostram qualemcunque expromamus sententiam, si forte quid lucri inde poetae oriatur.

Persius igitur, qui, ut iam recte animadversum a Casaub. est, velut aliud agens hic aetatis suae poetas tragicos et epicos, ut *petulanti splene cachinno* (I, 12) perstringere vellet, non potuit simpliciter et universe epicae genus poeseos significare, sed pro consilii ratione callide Parthorum bella commemoravit, tanquam digito monstrans eos poetas, *qui* (verba sunt Casaub.), *ut Neronem laudarent et proceres alios Romanorum, Parthica scribebant et res Romanas assentatorie in manus extollebant.* (Cf. nunc Iahn. Prolegg. p. XVIII.) Quod quum recte vir summus iudicasset, mirum profecto est, cur ad hanc sententiam satis certam singulas versus partes referre nolu-erit. Namque haec addit: *Vulnera Parthi et active et passive potest accipi: sed illud hic potius.* Contra passivam significationem praeferunt Koenigius, Weberus, Plumius. Minus quidem quam Persii editores eos, qui germanice eius carmina verterunt, h. l. dissidere inter se, ex eorum certe, quorum nunc libros inspicere licet, translationibus intelligitur⁶⁾.

Longe maior ambiguitas est verborum huius vers. extremorum *ducentis ab inguine ferrum*; alii enim ea referunt ad Parthum *vulneratum* ita, ut dicatur *ferrum ducere* i. e. secum trahere *ab inguine*, quo loco periculosissimo vulnus acceperit; alii intelligi volunt peculiarem quendam iaculandi morem Parthis hic a Pers. tributum. Ern. Web. denique de sagittario accipit, seu sagittandi perito, *qui tela e pharetra promat ab humero usque ad pudenda dependente.* Haec vero ex parte nova Weberi interpretatio, ponens illa quidem proprium Parthorum armis utendi morem (cf. omnino Iahn. ad h. l.), quomodo cum ea ratione, ex qua Web. vocc. *Vulnera Parthi* intelligere vult, satis recte concinat, fateor me perspicere non posse, ut nihil iam de eo dicam, illam ex poetae verbis aegre concludi posse. Recte enim Ott. Iahn., et primus ille, quod sciam, observavit, ex utriusque dicti alterutra significatione sive activa illa, sive passiva alterius dicti vim eandem et significationem constituendam esse, sed utram ipse praeferat, non significavit.

Iam vero utramque sententiam aequae bonam esse si quis affirmaverit, equidem contra pugno et *vulneratum Parthum* necessario dictum esse, certe multo aptius h. l. intelligi, quam *vulnerantem*, contendo. Audi, cur ita censeam. Omnes interpretes vel apertis verbis pronuntiarunt, vel nil contra Cas. monendo confitentur, imitando hic Persium expressisse Horat. verba sat. II, 1, 15 haec:

*neque enim quivis horrentia pilis
Agmina, nec fracta pereuntis cuspide Gallos,
Aut labentis equo describit vulnera Parthi.*

Atque hic locus sane adeo similis Persiano est, ut ovum ovo: habes *vulnera Parthi* iisdem verbis; habes genitivo *Parthi* adiunctum partic. praes. *labentis*. Imitatus igitur sine dubio hic Persius Horatium est, omnes confitentur, — sed est ita

⁶⁾ Passovius interpretatur: Oder ein Parthergefecht und blitzend geschwungene Saebel; W. E. Weberus: Oder die Wunden des Parthers, der aus dem Gemaechte den Pfeil zieht; Hauthal: Oder des Parthers Fall, der tief aus der Weiche den Pfeil zieht; Donner: Oder den Parther im Blut, der sich von der Huefte den Stahl rafft; Otto: Oder die Wunden des Parthers, der's Schwert von der Duennung herauszieht.

imitatus, id quod nonnulli censent, ut *vulneratum Parthum* Horatii mutaret in *vulnerantem*. Si vero mutavit, quaeritur, cur id ab eo factum sit? — an forte propterea, ut maiorem sic redderet amplificaretque adulationem poetarum, qui hic deridentur? Non credo, immo multum adulationis notationi detraheretur, si in carminibus illi suis dicerentur *Parthum victorem, victum Romanum* descripsisse.

Mutavit igitur Pers. quidem, non tamen tam rem ipsam, quam verba, augendo illa suo more et amplificando ita, ut hoc ipso poetae isti grandiloqui multo acrius perstringerentur, id quod illum voluisse consentaneum est. Hanc autem interpretationem, quam defendere conati sumus, veram esse, insuper aliis quibusdam rationibus petitis illis ex usu synecdoches accurate definito et Persiano dicendi genere evinci posse credimus. Sed haec hactenus. Namque certis cancellis circumscripti sumus. Quae hic disputavimus, ea si non prorsus displicuerint, alia alio tempore dabimus plura et ampliora.